



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A magis mirandum est ab erudito viro in hunc censum Potamiānam adscribi, Basilde expuncto. Quasi vero parum credibile sit virum bellicæ rei deditum, cum Origenis fama per-
 motus esset, accessisse ad eum, & nonnulla rerum Christianarum accepta ab eo notitia, cum
 Potamiānam ad supplicium pro munere suo deduceret, eam ab improborum hominū pe-
 tulantia prohibuisse, ab eaque postmodum jam fato functa secundum quietem excitatum,
 Christi fidem palam fuisse professum. Huc etiam confert Nicephorus Alexandrinum Hie-
 rosolymitanum Episcopum, & Casariensem Theodotum; quibus Mammaam quoque
 adungere, & memoratum illum ab Eusebio Arabiæ Præsidem rationi consentaneum est.
 Denique innumeri, inquit Vincentius Lirinensis, ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Con-
 fessores, & Martyres existunt.

Nicoph. lib.
 1. cap. 10.
 Euseb. lib.
 6. Hist. c. 19.
 Vincen.
 Lirin. adu.
 Her. Com-
 mentario l.
 cap. 23.



ORIGENIANORVM LIBER SECVNDVS.

ORIGENIS DOCTRINA.

Libri secundi partitio.

EXPLICATA Origenis vita, institutus ordo postulat ut ad exponendam ejus doctri-
 nam progrediamur. Id propositum fronte simplex, multiplex sane est in recessu:
 nam & de eruditione Origenis, & ijs quibus potissimum dum viveret animum in-
 D formavit artibus & studijs, nonnulla præmittenda erunt. Tum dogmata illius suis distincta
 proponuntur capitibus; non ea quidem quæ Ecclesiæ decretis consona universa tulerunt
 suffragia, vel quæ levioris sunt momenti; sed quæ majoris in Ecclesiâ ponderis à commu-
 nibus & receptis sunt aliena sententijs; eaque præsertim quæ Patrum subinde censuris &
 Anathematis Synodorum vexata sunt. Quibus subjungetur Origenianæ doctrinæ, non di-
 cam Apologia; nam neque ausim, neque sane velim; sed accuratum & præjudicijs omni-
 bus liberum ac solutum examen. Hinc ad ipsam Dogmatum illorum describendam sum-
 matim fortunam accedemus, ut quas excitavit in Ecclesiâ procellas, quantis partium stu-
 diis oppugnata & propugnata sint, palam fiat. Atque ita in capita quatuor Liber iste distri-
 buit. I. agit de eruditione Origenis. II. Dogmata ipsius excutiantur. III. doctrinæ
 E ejus generale examen continetur. IV. fortuna doctrinæ ejusdem narratur.

CAPVT PRIMVM.

ORIGENIS ERVDITIO.

I. Scripturæ callentissimus fuit Origenes, II. sed Ebraicæ linguæ parum consultus, Sa-
 maritana vero penitus ignarus. III. Scripturæ Interpretes, scriptoresque Ecclesiasticos stu-
 F diose legi: IV. Sacræ doctrinæ causa excoluit τὰς ἑσθητάς, Philosophiam præsertim; V. sed
 & reliquas disciplinas.

I. PRIMVM illud ac præcipuum fuit Origenis à teneris pueritiæ annis ad obitum
 usque studium, ad interiorem ac reconditam sacrarum literarum peritiā pen-
 trare. In quo quidem ita se tractavit ut admirabile esset, nec quisquam deinde
 tantum in ea exercitatione consecutus sit; sive literam ipsam, quemadmodum vocant,
 spectes, quam totam memoriæ ita commendaverat, ut locos omnes ex tempore, etiam li-
 bris inconsultis, apposite recitaret; sive intimos ac latentes sensus, quos tanta sagacitate
 eruit, ὡς εἰς ἐκείνη, inquit Suidas, πάντα τῶν μετέπειτα τῆς ἐκκλησίας διδασκάλους καὶ ἀποστόλους
 d